








44/62614

R 80



2

DE FONTIBUS ET PARTIBUS
Juris nostri, Disputatio:

Cujus defensionem,

Divini numinis annuente gratia:

EX DECRETO ET
AUCTORITATE AMPLISSIMI JURI-
dicæ Facultatis Ordinis in inçlyta Illustris,
Hassæ Principum Academia Marpurgensi, pro
consequendis in Utroq; Jure insigniis ac
privilegiis Doctoralibus, publi-
cè suscipiet

VINCENTIUS RASOR
Stadensis.

In Auditorio Jctorum, horis consuetis, a. d. 12. Maij,
Anno M. D. XCII.



MARPURGI,

Imprimebat Paulus Egenolphus, Typogr. Academicus.

ANNO clō 13 xcii.

*Natalium splendore Eruditione et Virtute Co-
vito Dn. Othoni Hesperio variarum artium et*

DE FORTIBUS ET PARTIBUS

© in der
Druck und Verlagsanstalt

EX DECRETUM ET

AUTORITATE AMPLISSIMI IURIS

DOCTORIS OTTAVII IN IURIS ILLUSTRISSIMI

FRANCISCI DE S. MARINO

PROFESSORIS ET REGII ACADEMIAE

SCIENTIARUM LIBERALIUM

IN VIENNA AUCTORITATE

ACADEMICA

IN VIENNA

ANNO 1774



380/44/626 14(7)

REVEREND. NOBILISS. ET
MAGNIFICENTISSIMIS DOMINIS, Dn. JOAN.
Wolffgango Schott à Memmelsdorff, Decano Ecclesie Cathedralis
Fuldensis, Præposito in Neuenberg, Holtzkirchen & Rhora: Dn. Caspa-
ro à Wildungen, Præposito in Blanckenauw & Zella: Dn. Joan. Fride-
rico à Schwalbach, Præposito Monasterij S. Michaëlis: ceterisq̃
Præpositis & modò dictæ Ecclesie Capitularibus uniuersis
ac singulis, Dominis suis gratiosis.



Uo sunt hominum genera, Reverendi, No-
bilibs. ac Magnifici, Dn. Decane & Capitula-
res, Domini gratiosi, qui minus rectè de Ju-
risprudentia nostra iudicant: Unum illorum
est, qui, ut vulgus solet, leges nihil aliud
quàm iussa Tyrannica ab avaris Imppp. ad de-
glubendum miseros subditos excogitata, at-
que ideo interpretationes Juris nihil aliud
quàm fraudes & imposturas famelicorum Jctorum esse clami-
tant: aliterum eorum, qui, ut leguleji & vultures togati solent, ver-
botenus quidem ad suum fortè compendium Leges res optimas
esse affirmant, sed tamen putant adeò intricatas & difficiles, ut
earum principia & fontes indicari commodè non possint: Unde
& ipsi relictis limpidiſſimis hisce fontibus partim ad turbidos
opinionum lacus, partim ad præjudicia & exempla (consuetudi-
nem & stylum curiæ ipsi vocant) se conferunt, quæ cum plerun-
que sint incerta, varia & dissimilia, & ipsos in incerto jure veluti
in Labyrintho inexplicabili huc illuc vagari necesse est, & ideo
nisi in iisdem casibus modò ajant, modò negent, atq; ita egregiè
mentiri discant, omnis quæstus ipsis periiit. Adversus utrunque
genus instituta est hæc de principiis & fontibus Juris disputatio
nostra, in qua non tantùm summam juris nostri æquitatem &
majestatem vindicare, sed & pro virili ostendere volui, nullum
extare in Jure præceptum, quod aut naturalis ratio diuinitus no-

bis insita ob honestatem non suaserit, aut conventio civium ob communem Reip. utilitatem & salutem non præscripserit. An autem id quod volo præstiterim, aliorum, & imprimis, non tantum Excellentiss. Istorum & studiosorum Marpurg. Præceptorū, collegarum & amicorum, sed & Clariss. & Consultiss. virorum Dn. M. *Joan. Volprachts* Vicecancellarii, Dn. D. *Balthas. Coleri*, reliquorumq; Consiliariorū Fuldensium, fautorū meorum, iudiciis relinquo. Certè primus ego hinc cornicū oculos configere non volui, sed quid mihi aliquando tūm Marpurgi, tūm in aliis Academiis hac de re cogitanti venerit in mentem, modestè exponere; In quo si quandoq; lapsus sum, ipsa rei difficultas facilè, ut spero, impetrabit veniam. Vestro autem nomini, Gratioli Domini (nec enim fuit cui deberem jure meliori) hoc quicquid est inscribere volui, quo testarer me in eo munere quod nuper imposuistis, nihil de jure responsurum aut aliàs facturum, nisi quod natura honestum, vobis ac subditis universis salutare & utile intellexero. Faxit Deus Trinus, ut omnes qui has politicas artes unà mecum sequuntur, idem demum aliquando sentiant: controversiarum certè esset minus, adeoq; exoptata pace & fraterna concordia facilius frueremur: quæ nunc omnia contrá. Et verò in hoc deplorato, jurgiorum & contentionū pleno seculo optare magis, quàm consequi ista licet. Quapropter quod est reliquum, V. R. & Clem. Deo Opt. Max. mea; studia patrocínio vestro commendo. Fuldæ 3. Nonas Maji, styli novi, Anno Epochæ Christianæ 1592.

V. R. & Cl. Addictiss.

Vincentius Rasor Stadenfis.



JUS NOSTRUM SI MODO RECTE EX SUI:
principiis deducatur, facillimum esse, subsequencia
demonstrabunt exempla.

THESIS I.



T autem unde & ipsi Icti in ff. & Imp. in Inst. exordiar, definitur Jus, Jussus utilium Reip. à natura vel conventione hominum originem ducentis.

II.

Dixi Jussus: Jus enim à jubendo dictum esse præter Etymologiam etiam arguit l. legis 7. ff. de Leg. ubi dicitur: Legis virtus hæc est: Imperare, vetare, permittere, punire; quamvis Ulp. in l. 1. ff. h. t. alio sensu a dicat à Justitia appellatum.

III.

Fili igitur jussus ille partim verbis, sive id absolute, ut imperando a, sive relative, ut vetando & permittendo: partim re ipsa & exemplo. Quorum tria priora proprie jussum concernunt, ideog, ad futura b negotia pertinent: posterius executionem c.

a Imperat autem seu præcipit Jus honesta & utilia: vetat contraria: permittit quædam evitandi majoris mali gratia, vel ob alias probabiles causas: veluti concubinatum, t. t. ff. de concubinis. Lupanaria, Lancillarum. §. sed & pensio. ff. de pet. hered. Nostri: Gebott vnd Verbott. Item, Vergünstigung/übersehens. *b* Ut est pulcher tex. in l. 7. C. de leg. Hinc illa clausula hodie constitutionibus principum solet præmitti: Doch soll diese unsere Ordnung auff die fall so sich allbereyt zugerageu haben/ zum theyl auch an jeko noch Rechthängig nicht gezogen / sondern allein auff sachen so hinfüran nach publicierung dieser Ordnung sich künfftiglich zutragen / verstanden werden. Quod si certum tempus adjectum non sit constitutionibus sive statutis, à die publicationis elapso duorum mensium termino demum valere incipiunt. Menoch. de arb. jud. quest. casu 182. *c* Verba enim cum effectu intelligenda sunt: Secus pro non dicto aut præcepto est id omne, cui quis nisi velit parere non cogatur, l. sub hac. ff. de obligationib. & actionib. Hinc est quod in l. 2. ff. de leg. jus sub voce legis, definitur, cui omnes obtemperare convenit: Hinc etiam dicitur coercitio l. 1. ff. eod. & sanctio, l. sanctio, ff. de pæn.

quod nimirum sanctione pœnæ latum sit. arg. §. sanctæ. 10. in fin. Inst. de rerum divis. Huc igitur pertinent omnes modi puniendi contumaciam & processus executivi, ut sunt, Arrestum, Obstagium, Repressalia, Pignoratio, Carcer, Sequestratio, missio in bonor. poss. & id genus alii, de quibus eleganter Matth. Colerus in tract. de process. executivis. Huc etiam refertur totus pœnarum tractatus. Atque etiam hinc in constitutionibus Principum hæc solent apponi: Wir gebieten bey vnnachlässiger Straff.

IIII.

Cùm dico, Utilia a, Honestæ præsuppono b: qui duo c juris Uni versi fines: Unde etiam disputationes de juris mutabilitate & ejusdem interpretatione sumendæ sunt.

a Utilitas enim finis est juris. §. fin. Inst. h. t. in verb. Utilitatem. §. sed jus quidem 2. vers. nam usu exigente & humanis necessitatibus. Inst. de jur. nat. Gent. & civ. l. 9. & pen. ff. h. t. Hinc rectè in l. 12. tab. dictum est, *Salus pop. suprema lex esto.* Cic. lib. 2. de leg. Id quod & alii rectè animadverterunt, ut Horat. Ipsaq; Utilitas jùsti prope mater & æqui. Et Lact. lib. 6. c. 9. Inter homines, ait, Utilitas leges reperit. Unde Lucilius: *Còmoda præterea patriæ sibi prima putare.* Nostri: *Was zu auffbauung vnd frommen gemeynes nußens gerechen thur.* *b* Quæ de re graviter differit Cic. lib. 2. in prin. de offic. *c* Summus enim Juris finis est, Humanæ societatis conservatio, quæ consistere non potest, nisi fiant honesta & utilia, omittantur contraria. Nostri: *Wo es ehrlich vnd wol zugeht.* De honesto intelligit VVes. vocabulum *æquum*, de Utili vocabulum, *Bonum* in definitione juris, quæ est in l. 1. ff. h. tit. Et ad prius pertinet quod dicitur in §. 3. Inst. h. t. *Honestè vivere: ad posterius quod dicitur alterum non lædere, suum cuiq; tribuere: aliàs appellatur, Decorum, Licitum, &c.*

V.

Jus enim illud mutabile, cuius finis propter quem jubet est mutabilis, & econtra. Inde cùm jus Naturale & jus Gent. primæ vum jubeant, propter honestatem quæ semper sibi similis est, & immutabilis a: inferitur & ipsa immutabilia esse. Et rursum cùm jus Gent. Secundarium, & Jus Civile jubeant propter utilitatem b, quæ ratione diversarum circumstantiarum. puta loci & temporis, variat c: sequitur & ipsa varia & im-

ontra cõ-
munem.

*& immutabilia esse. Sed & de mutabilitate juris, ex eius causa efficien-
te, statuendum est, ut mox subjiciam.*

a Siquidem à natura est, ut præclare Cic. lib. 1. Offic. docet. *b* d. §. sed jus. 2. l. 9. & pen. ff. h. t. *c* Est siquidem æstimanda ex usu hominum. Cic. lib. 3. Offic. Arist. lib. 5. Ethic. & d. §. 2. Hinc illa clausula hodie constitutionibus addi solet: Wir halten uns bevor diese vnser Ordnung zu bessern/mehren/mindern/oder auch gänzlich/alles nach gelegenheit der zeit vnd läuffren/abzuschaffen.

VI.

Interpretatio juris similiter ex hisce fontibus petenda est. Cùm enim lex jubeat propter honestatem vel utilitatem, eam ita interpretabimur, ne in alterutrum impingat a: Secus sine deficiente effectum finitum dici Jus non poterit, sed hoc casu non tam ab honesto aut utili vincitur Jus dicitur, quàm quod in ipso jure est sponte sequi honestum aut utile.

a arg. l. Temper in conventionibus 197. ff. de R. I. §. si uxor 9. Inst. de nupt. §. 2. verf. sed & major. Inst. de his qui sui vel alie. jur. §. constituitur 2. verf. sed utilitatis causa. Inst. de usufruct. §. item si 10. verf. sed utilitatis causa. Inst. de mandato. Hinc toties in jure dicitur utilitatis causa ex æquitate receptum d. §. 2. & 10. Hinc utiles actiones, Fictio & Representatio in jure introductæ.

VII.

Cum enim jura constituantur secundum generalem a honesti & utilis rationem: Et verò quandoq; incidunt casus speciales in quibus plus inest quàm in genere b, idq; ratione diversarum circumstantiarum c: generalis illa honesti vel utilis ratio his applicari non potest, sed ex æquitate d diversum statuendum est, ex diversa specialium c ratione: Dissimilium enim non idem est judicium: quo Logicorum axiomate omnis interpretatio legis siue restrictiva siue extensiva comprehensa mihi videtur, quod scilicet mentem legis attinet.

a ut habetur in l. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & seqq. ff. h. t. l. 2. §. his legibus latis 5. ff. de orig. jur. Et eleganter Aristotel. lib. 5. Ethic. c. 7. *b* In toto jure 80. ff. de R. I. c. generi 34. de Reg. jur. in 6. Aristoteles d. loc. *c* Laut pacta 16. ff. de pœn. l. nonnunquam 72. ff. de judic. l. jusiurandum 34. §. non semper, ff. de jurejur. Et verò etiam Logici docent rem eandem, prout ad diversa refertur, diversum argumenti nomen accipere. d

Quæ

Quæ ob id ab Arist. dicitur *ἐπὶ πάντων ὁμοία νόμος ἢ ἐλλείπει διὰ τὸ καὶ δόλον*: ideoq; τὸ ἀοείσθαι, &c. dicto lib. 5. c. 10. Hinc rectè dictum est, majorem æquitatis quàm juris stricti habendam rationem l. placuit. 8. C. de judic. l. in omnibus ff. de R. J. l. quod si Ephesi. 4. §. interdum. ff. de eo quod certo loco. Mynsing. cent. 6. observ. 63. Addit. ad Marant. p. 4. d. 9. num. 152. cum seqq. Dicitur & aliàs Bona fides, cui fraus opponitur, id est, Sophistica interpretatio l. fraus 30. ff. de leg. Atq; in hac significatione actiones quædam dicuntur esse Bonæ fidei, quædam stricti juris: Eodem sensu vocatur Humanitas, *ἑμελιεία*. e Lex enim nihil aliud est quàm ratio legis l. scire leges 17. ff. de leg. Ideoq; ubi eadem ratio ibi idem jus, d. l. 12. 13. & 27. ff. de leg. Eleganter Donell. lib. 1. comment. jur. civ.

VIII.

Dixi præterea in definitione, Reip. quia juxta l. 8. ff. de legibus Jura non in singulas personas sed generaliter constituuntur. Dixi hucusq; quid jubeat nimirum utilia Reip. nondum explicui quis jubeat, id quod in seqq. verbis exprimitur.

IX.

Est enim jusus ille vel natura hominum communis vel conventionis civium propria: Ex quo illic facit jus naturale a & Gentium b seu commune c: Hic civile d seu proprium e.

a Ita enim jus naturale & gent. communiter accipiuntur in §. singulorum. 11. Inst. de rer. divis. & passim alibi: Unde rectè Cujac. lib. 15. observ. c. 33. Ulpiani trichotomiam ad dichotomiam revocat, ut omne jus ipsi sit naturale aut civile. b Unde rectè Gajus in l. 9. ff. h. t. & hunc secutus Donell. jus omne dividunt in Gentium & proprium. c Unde rectè Ulp. in l. 6. & Gajus in d. l. 9. in commune & proprium. Quæ discrepantia est in verbis, non in mente. d l. 1. 6. 7. 9. h. t. e d. l. 6. & 9. eod. Aristoteles lib. 5. Ethic. c. 7.

X.

Contra communem.

Naturale est ex natura vel inferiori, id est, irrationali, vel superiori: Illud in specie naturale a dicitur; Et quia natura illa est communis bestiis cum hominibus, jus quoq; ipsum per Metonymiam commune dicitur: Et quia illa immutabilis, jus quoq; immutabile b vocatur.

a ab Ulp. in l. 1. §. 3. & Imp. in princ. Inst. h. t. b §. sed naturalia. 11. Inst. h. t. Nostri das natürlich, ohnwendelbar Recht vnd billigkeit.

XI. EN

XI.

Ex natura, inquam, inferiori, vel δουλική, id est, irascente, cujus juris est sui ipsius defensio a sive injuriæ propulsatio, quæ tamen jure civili informat a b est. Vel ἐπιθυμητική, id est, concupiscente, quæ duo officia complectitur, Generationem & Nutritionem.

a l. 3. ff. h. t. l. 1. § 3. C. Ad legem Cornel. de sicar. b l. 1. C. Unde vi ibiq; Dd. l. 3. §. num igitur. ff. de vi & vi arm. l. 45. § 4. ff. Ad leg. Aquiliam. Cujac. lib. 5. observ. c. 18. Nostri vocant ein Notwehr. qua de re latius Lud. Carrer. in pract. crim. fol. 166. & Hippol. de Marf. in §. quoniam, n. 86. & seqq. VVesemb. consil. 19. & Gail. lib. 2. observ. 110. Quod si quis moderamen inculpatæ tutelæ excesserit, tantum de illo excessu tenetur Dd. in l. 1. unde vi, per l. si adulterium §. Impp. ff. de adulteriis: In dubio autem semper præsumitur cōtra eum qui in insultū fecit: vide Sneid. in Inst. hoc loco, & adde Peinlich Halsgerichts Ordnung Carol. V. const. 140. Unde autem aliàs probetur quem defendendi animo occidisse vide Mynf. conf. 27. & Dd. in dd. ll.

XII.

Illius juris est liberorum procreatio; Hujus eorundem educatio a: Utrig; inservit maris & sœminæ conjunctio: quæ tamen & ipsa jure civili informat a b sunt.

a d. l. 1. §. 3. ff. h. t. in princ. Inst. eod. & eleganter Cic. lib. 1. Offic. pro modo scilicet facultatum t. t. C. de alend. lib. Hinc etiam liberis illegitimis alimenta præstanda sunt: Immo & filia spuria dos debetur, Gail. lib. 2. observ. 88. n. 4. 7. Eberhard. in Top. in loco, ab aliment. ad dot. n. 4. Ingratitudo tamen tollit debitum naturæ §. optimè, v. l. hoc autem Authent. de nupt. Alimentorum autem verbo quæ veniant vide Dd. in verbo victus, ff. de verb. sig. b §. 1. & 2. Instit. de pat. potestate. Authent. ex complexu C. de incest. nupt.

XIII.

Ex natura superiori, id est, rationali quod est jus, νοητὴ λέξις dicitur Gentium b, eò quod ratio unde proficiscitur hominum sit propria.

a d. l. 1 §. fin. & d. l. 9. ff. h. t. §. 1. Inst. eod.

XIII.

Cumq; Ratio illa duplex sit: primæva vel secundaria: quarū illa per se suaq; fide probatur: hæc ex alio, nimirum ex tertio argumento notiori deducitur (quod hic est generalis, Juris finis, Utilitas scilicet) a: Inde jus

B

Gen-

*Gentium aliud primævum, aliud secundarium, quæ distinctio ex li-
veritate exemplorum a, ὁ φθάλμιος, ut Chrysofomi verbo utar, pro-
bari potest.*

*Quæ habentur in l. 2. 4. & 5. ff. h. t. Illius sunt Religio erga Deum,
reverentia erga parentes d. l. 2. quæ sunt ex judicio mentis noctico per
se manifesto, Paul. ad Rom. c. 1. & Cic. de natura Deorū: Hujus distinctio
dominiorū: Et quæ faciūt ad majorem hujus distinctiois vel cōmodi-
tatem, ut terminorum positio; Et quæ propter hanc necessaria fuerūt,
cōmercia; Et quòd faciliora hæc essent, ædificiorum collocatio, Regno-
rum cōstitutio, Gentium discretio: vel defensio adversus homines ma-
leferiatos: sive incolas, ut pœnarum sanctio si à reo § id quod vulgò ff.
de fidejuss. sive exteros, ut bellorum introductio, unaq; cum his jus &
adjunctum belli, captivitas scilicet; & quæ huic adhæret servitus; & quæ
hanc secuta est manumissio. d. l. 4. & 5. quæ omnia sunt ex judicio dia-
noëtico: ut autem illud immutabile, hoc mutabile reperitur, ita & jus
quod inde profectum est.*

XV.

*Atq; ut evidentius, id quod volo, liqueat, sumam ex d. l. 5. speciale
exemplum de permutationibus & contractibus.*

XVI.

*Cùm enim (ut ἀπέργως in fertilissimum hunc contractuum & obli-
gationum campum excurram) ab initio communitio quæ erat excitaret
discordias a, necessum erat dominia distingui, id quod fieri commodè
non poterat, nisi simul agris ponerentur termini & limites: Distinctis
fundis & regionibus fiebat ut in tuis fortè nasceretur vinum, (neq; e-
nim omnis fert omnia tellus) in meis frumentum: Tu igitur frumento,
ego carebam vino: Similiter in aliis rebus, earumq; usu. Rursum,
cùm non omnia possimus omnes, Indigentia b hæc contractus suasit.*

*a l. cum pater 79. §. dulcissimis in fin. ff. de leg. 2. fac. l. in re commu-
ni 25. §. itaque propter ff. de servit. urb. præd. adde d. l. 5. ff. h. tit. b Cùm
enim nemo mortalium sit ἀνευδής, ipsa statim naturalis necessitas per-
mutationem rerum suasit, fac. l. i. ff. de contrahend. empt. Omnis enim
proportio & æqualitas, quæ in hac justitia commutativa observatur,
æstimatur ratione minoris vel majoris indigentia, quæ rerum præcia
auget vel minuit: Hinc omne rarum, carum, exempla apud Valer. lib. 7.
c. 6. Et eleganter Aristoteles d. lib. 5. Ethic.*

XVII.

Indigeo autem vel a re ipsa alterius, vel ejus usu, vel alterius facto: ubi res ipsa transfertur, semper æquum est ut vicissim quid præstetur b: ubi Usus aut factum c interdum id gratis fit, interdum mercede.

a atq; hoc est negocium l. 15. ff. de præscript. verb. seu causa l. jus gent. 7. ff. de pact. quæ consistit in Datione & Facto l. 3. ff. de obligat. & act. *b* Non enim posset esse diuturna rerum communicatio, si altera tantum pars exhauriretur, non secus ac totum corpus collaberetur, si quælibet pars alterius vigorem ad se trahere vellet, ut Cic. in lib. Offic. eleganter disserit: Ideoq; dicitur jure naturæ æquum esse, neminem locupletari cum alterius injuria, l. jure naturæ ff. de R. I. l. jure succursum 6. in fin. ff. de jure dot. & c. locupletari 48. de reg. jur. in 6. Hinc in contractu dicitur esse *ανάλληγμα* l. Labeo 19. ff. de R. J. l. 7. ff. de pact. & proportio Arithmetica, Aristoteles dicit. lib. 5. Ethic. *c* pro diversitate scilicet majoris vel minoris usus aut facti, hinc contractus quidam sunt Mercenarii, quidam Gratuiti.

XVIII.

Re ipsa, quæ, salva ejus substantia uti non possum, ut in mutuo: Usus, in re quæ utendo non absumitur, ut in commodato: Unde Mutuum definitio, creditum quantitatis a: commodatum verò creditum usus b.

a quæ est earum rerum quæ consistunt in pondere, numero & mensura, unde à Zasio res fungibiles dicuntur, vide l. 2. ff. de reb. cred. & ad eam Duar. lib. 1. disp. c. 14. & lib. 1. c. 6. Hor. quæst. illust. 15. Robert. lib. 3. sent. c. 6. D. Vult. lib. 1. disc. 10. Hinc mutuum dictum est quòd è meo tuum fiat in pr. Inst. de obl. quæ re contrah. notatione potius juridica quàm Grammatica facta ad imitationem Stoicorū, Cujac. lib. 11. c. 37. Hinc in mutuo redditur idem genus non species, d. l. 2. quam vulgares individuum vocant. vid. Ram. in schol. Log. & Rodolph. Goclen. in Problem. 37. p. 1. Idem autem intelligitur si sit ejusdem bonitatis & qualitatis, (vulgò *εινός Σχρότ υνδ Κορής*) unde deterius reddi non potest, l. 3. ff. de reb. cred. sed an melius, & cujus temporis æstimatio attendatur vide apud Dd. d. t. *b* Hinc & à commodo, id est, usu dictum est l. 1. ff. commod. Ideoque res quæ usu absumuntur commodari non possunt, nisi fortè ad pompam, ostentationem vel dicis causa l. 3. in fin. cum seq. h. t. Secus in iis quæ usu deteriores redduntur d. l. 3. §. 1. l. 5. §. 8. l. 10. eod. Quòd si tamen culpa commodatarii præcesserit damnum præstatur l. fi. eod. Et quia usus tantum hic transit, etiam aliena res commodari potest l. 15. eo.

Utroq; hoc contractu latius patet Emptio venditio, siquidem in hanc non solum res quævis, verum & rei usus venit: Unde definitur mercis a cum precio b permutatio.

intra cō-
nem.

a quæ est omnium rerum quæ in commercio natura vel lege esse possunt l. 4. cum seqq. l. 34. §. 1. ff. h. t. lib. 4. C. t. 40. 41. 42. 43. Unà cum accessionibus l. 28. cum seqq. ff. h. t. l. 13. §. 10. ff. de act. emp. Hinc quemadmodum emptor statim perfecto contractu licet nondum traditione consummato commodum sentit, ita & ex naturali æquitate & veluti tacito pacto periculum §. 3. Inst. h. t. l. 8. ff. eod. b quod consistit in pecunia numerata. §. 2. Inst. h. t. Ex quo etiam sequitur alterum ut precium sit certum, vel absolute, si numero exprimatur, vel relatione ad aliud facta l. 6. ff. de reb. cred. Hinc etiam colligi potest, Utrum illa consuetudo Fuldenfis, quæ, ut audio, fructus pendentes quandoq; non sequuntur fundum, sit æqua: Ad quam quætionem respondebo in disputatione. Quomodo autem Nummus non modo præsentis indigentia vicarius sed & futura quasi ἐς γυνήϊς inventus fuerit, vide Paul. in l. 1. ff. h. t. Arist. lib. 5. Ethicor. & lib. 1. Politicorum cap. 6. Pinel. in rub. C. de rescind. vendit. Et exprimitur precium vel ab ipsis contrahentibus vel ex eorum consensu ab aliquo tertio, Unde contractus est conditionalis, Ideoq; si tertius non æstimaverit, emptio tanquam conditione deficiente nulla est, §. 1. Inst. h. t. quod & in Locatione cōductione verum est d. §. 1. Sed an & in permutazione? quæ quæstio dum hæc scribo de facto mihi occurrit. Nam cum Joan. Finckius hospes meus homo cordatus nec indoctus permutasset hortū suum cum quibusdā vicini sui agris, & verò hi illo pluris æstimarentur, certa pecuniæ summa adjicienda erat, quam ut ex æquo & bono definiret utriusq; voluntate electus fuit honestus & doctus vir Dn. *Valentinus Haan* amicus meus. Arbitrium verò hoc casu exemplo superiorum contractuum admitti posse, nihil video quod impediatur. Sed & illud quæsitum, an contractus iste sit permutatio an verò emptio, idq; tum propter diversam horum contractuum naturam, tum imprimis propter jus ἀετιμώσεως; Respondi cum Pinel. ad rubr. C. de rescind. vend. p. 2. c. 2. Sed & tertium quæsitum fuit, utrum, si proximis aut vicinis venditor maturè significarit se rem suam venditurum, ipsi autem detrectarint, nihilominus habeant, secuta postea venditione, annum retractus, quæ dicitur esse consuetudo Fuldenfis. De hoc itidem in ipso disputationis cursu respondebo an sit rationabilis nec ne.

Factum vel cum re compensatur, ut in Locatione conductione a & societate b; vel in re alterius gratis exercetur, eaq; tum expedienda ut in Mandato c, tum custodienda ut in Deposito d.

a Quamvis rectè dici possit factum hic nihil aliud esse quàm usum hominis: Unde rectè definiri potest *Locatio usus cum mercede permutatio*. Usus hic respòdet merci: Estq; vel in re vel in homine: illic in domo usus specialiter & propriè dicitur: In fundo fructus: Hic scilicet in homine opera seu factù: Hinc igitur ratione diversi usus diversimodo locator & còductor definiri debent: *a* ille qui definita mercede rem utendã, *a* *Contra munem.* concedit, vel in operis præstandis primùm se offert: Hic qui definita mercede rem utendam accipit, vel in operis præstandis placitum offerentis sequitur arg. l. 19. 22. 24. 38. h. t. Porro est hic usus vel temporis brevioris, decèni scilicet, & à Dd. specialiter *Locatio còductio* dicitur; vel longioris, & à Zenone *Emphyteusis* dicta est, in qua non tantùm nudus usus, verùm etiam jus transit, atq; idcirco velut in re majoris momenti scripturam requiri volunt Dd. in l. 1. C. h. t. vulgò *ein Erbleih* / à qua differt jus colonarium, quod in *V Vetteravia* vocant & *andesspedellrecht* / & id quod *Fuldenses* nostri vocant *Esßgüter*. Merces hic respòdet precio, sed in eo differt quod non tantùm in quantitate numeri *a*, *a* *Contra munem.* hoc est, pecuniæ numeratæ còsistit, sed & ponderis & mensuræ l. 19. §. 3. ff. h. t. l. 21. C. eod. *Pinel.* ad d. l. 2. C. de resc. vend. p. 1. n. 28. *b* *Quæ est, rerum & operarũ honestarũ ad quæstũ uberiorem communicatio.* Hic enim operæ in rebus collocantur propter quæstum l. 8. ff. h. t. qui intelligitur deducto damno, sicuti & damnum deducto lucro. l. 30. eod. Communicatur autem utrumq; vel æqualiter, pro rato rerum operarumq; collatarum, vel inæqualiter, ratione pacti adjecti, dummodo non sit contra contractus substantiam, adeoq; *leoninum* l. 29. eod. §. 1. 2. *Inst.* h. t. *c* *Quod inde definitur Negotiorum mandatoris* l. 6. §. 5. h. t. l. 47. de R. J. *honestorum* §. 7. *Inst.* h. t. *gratuita* §. fi. eod. *procuratoris* l. 10. §. 7. eod. *expeditio*. *d* *Unde definitur, creditum custodia: Quam cum immobilibus præstari non sit necesse, illæ huc non veniant: Et cum custodia tantùm credatur res eadem in specie reddi debet.*

XXI.

Sed a quo nos diutius amœnissimus hic contractũ campus detinuit: redeat igitur, unde lapsa est, oratio. Superest enim jus civile quod est ex propria civium conventionione: Ea q; si ve expressa, quæ sanctio dicitur, un-

de ius scriptum, quasi prescriptum a: sive tacita, qui mores dicuntur, unde ius non scriptum seu consuetudo dicitur.

tra com-
nem.

a Ita enim ex modo conveniendi vel iubendi hæc distinguenda sunt l. 32. & 35. ff. de leg. Arist. lib. 5. Ethic. c. 7. quamvis fatear scripturam plerunq; esse adjunctum necessarium l. 36. eod. Quia verò conventio illa variat ratione diversæ utilitatis ob quam iubet l. pen. ff. de iust. & jur. & Aristoteles d. c. 7. ubi ait τὰ δὲ κατὰ συνθήκην ἢ τὸ συμφέρον τῶν δικαίων ἕκαστα ἐστὶ τοῖς μίτεγίς, hoc est, verum ea quæ ex constitutione utilitatis causa iura valent similia sunt mensuris: Sequitur & ius civile mutabile esse, quia etiam per ratio cinationem colligitur.

XXII.

Prescriptum, inquam, ab iis, qui eius prescribendi seu iubendi habent potestatem a: quæ est vel omnium civium Rom. qui postea potestatem legis condendæ in Imp. lege Regia b transtulerunt, cuius iussus κατ' ἑξοχῆν constitutio dicta est: vel unius civitatis aut Collegii, quod dicitur ius municipale seu statutum.

a arg. l. fin. ff. de iurisdic. b l. 2. §. 11. ff. de orig. jur. Duar. lib. 1. disp. c. 15. c vulgò Landt oder Stadtrecht. Fit autem cum consensu superioris, nisi in hujus non tendat præjudicium VVes. in parat ff. de leg. n. 3. Gloss. in l. 2. §. fin. C. de const. pec. Marant. p. 4. d. q. nu. 7. Et interpretatio est stricti juris, Gail. lib. 3. obs. 33. Hinc clericos laicorum statuta non ligant c. Ecclesia S. Mariæ CC. exemp. de constitut. Gail. lib. 2. obs. 32. Mat. disp. 8. Hinc etiam sunt Localia l. cunctos pop. ibiq; Dd. C. de sum. Trin. & fide Cathol. Fallit in condendis testamentis Gail. lib. 2. obs. 123. secus atq; in successione legitima ab intestato, Mynsing. cent. 5. obs. 19.


XXIII.

Constitutio principis est communis vel personalis: illius tres species Theophilus a recenset: Rescriptum, Decretum & Edictum. Hac privilegium b dicitur.

a in §. sed & quod principi 6. Inst. de jur. nat. Gent. & civ. b de cuius speciebus vide l. privilegia quædam 157. & l. in omnibus 68. ff. de R. J. & c. privilegium personale 7. de R. J. in 6. de eius interpretatione c. in generali concessione 18. eod. Mynf. conf. 19. Et an vetus per novum abrogetur, eundem conf. 67. & conf. 70. n. 5. 6. Exempla pete auß deß Reichs abschieden.

XXIIII.

Restat consuetudo, quæ est usus a diuturnus b & æquus c, consensus totius



totius populi vel majoris d partis comprobatus.


a Hinc primò ad consuetudinem introducendam requiritur actuum frequentia: quod probatur primò ex Etymol. vocabuli, Ovid. Allmilemque sui longa assuetudine fecit. Ita & Græcum ἔθος est ab ἐθίζειν quod est assuefacere, ut Aristoteles in Ethic. latius explicat; Et eleganter Divus Chrylost. in oratione περὶ ἔθους differentiam legis & consuetudinis in eo etiam ponit, quòd τῶν μὲν ἐν ἀλλοῶν νόμων ἐξ ἑσθὸς ἀπαξ δοκιμαθεὶς ἔλαβε τὴν ἰσχύϊ; τὸ δὲ ἔθος αὐτὸ ἀεὶ δοκιμάζεται: deinde idem probatur ex effectu. Nam consuetudo seu mos efficit habitum & virtutē moralem, quæ inde dicta est ἕπι καὶ ἔθους περιζήρητος teste Aristotele lib. 2. Ethic. c. 5. Habitus autem non efficitur nisi crebris & similibus actibus, Aristoteles d. lib. 2. Facit huc l. 3. in fin. C. de Episcop. aud. & l. 1. C. h. t. in verb. quæ frequenter in oppido in eodem controversiarum genere servata sunt. & l. 37. ibi quo iure civitas retro in eusmodi casibus usæ est. ff. de legibus. & l. 38. ibi, rerum perpetuò similiter iudicatarum. eod. Hinc est quod consuetudo dicitur firmari l. 40. 34. eod. & comprobari l. 35. 36. eod. Quot autem actus requirantur & quomodo sint articulandi vide Myns. cent. 6. obs. 41. n. 7. & 8. quia hic usus diuturnus facti est, idèd consuetudo probari debet testibus scilicet, instrumentis publicis, & ut nonnulli volunt, per assertionem excellentis Doctoris Myns. cent. 5. obs. 96. Mascard de probat. conclus. 424. cum seqq. Cujac. lib. 20. obs. 1. b secundum igitur consuetudinis requisitum est, ut sit præscripta de iure civili 10. annis. Quamvis Cuj. d. lib. 20. c. 1. & in parat. C. contra disputet per l. 23. ubi dicitur inveterata, & l. 33. ubi diuturna, & l. 35. ubi per plurimos annos observata ff. de legibus, & l. 3. ubi antiquitus probata C. eod. Gail. lib. 2. obs. 31. nu. 3. Hinc eleganter Chrylost. d. loco consuetudinem vocat ἐθνημα εἰς τὴν ἡρόν. c tertium igitur requisitum est ut consuetudo sit æqua, seu ut vocant Rationabilis, cuiusmodi erit si non pugnet cum iure naturali immutabili; Id quod iudex ex fine æstimabit, Sneider in §. sine scripto 9. in fin. & Myns. ibidem nu. 4. Secus enim non tam consuetudo quam corruptela aut vetustas erroris iuxta canones appellanda fuerit. Rationabilis autem hodie etiam iuri scripto prævalet. d l. 119. §. refertur. ff. de R. J. l. 19. ff. ad municip. ceterum de requisitis consuetudinis præclare tractat Gail. d. lib. 2. obs. 31. Myns. cent. 6. obs. 41. cum seqq. Idem consil. 10. n. 32. cum seqq. consil. 12. nu. 22. Ex quibus fundamentis multæ consuetudines Fuldenses examinari, & rectè (id quod, Deo dante, alio loco faciam) explicari possent.



5

380/44/62614(7)

X13<4462614700010



Freie Universität



Berlin

x·rite

colorchecker **CLASSIC**

